

SCRIPTA

Numéro Scripta : 8158

Auteur(s) : Gervais le Forestier [particulier]

Bénéficiaire(s) : Soligny-la-Trappe, Notre-Dame de La Trappe (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1244

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Gervais Le Forestier approuve la donation d'une rente annuelle de vingt sous tournois faite par son frère Thomas, clerc, à l'abbaye de la Trappe.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Charencey Hyacinthe (Comte de), *Cartulaire de l'Abbaye de Notre-Dame de la Trappe*, publié d'après le manuscrit de la Bibliothèque Nationale, Alençon, Renaut de Broise (Société historique et archéologique de l'Orne), 1889, O. « De Dispensaria et Maheru », n° XXVIII, p. 391-392.

Texte établi d'après a

Noverint universi, presentes et futuri quod, cum ego, Gervasius Le Forestier, de assensu heredum meorum, dedissem et concessissem, anno Domini M° CC° tricesimo sexto, mense novembris, Thome, clerico, fratri meo, pro tertio partis sue de hereditate nostra, viginti solidos turonensium annui redditus, et eos assignavissem ei super toto tenemento meo de Ardena, in terris, pratis et rebus aliis, a me et heredibus meis, vel a quocumque alio dictum tenementum tenente, dicto Thome, vel ejus mandato, annuatim persolvendos, hiis duobus terminis, videlicet in Pascha decem solidos et in festo sancti Remigii alios decem solidos, et dictus Thomas, clericus, viginti solidos supradictos, de voluntate mea, dedisset et concessisset secum in elemosina Domui Dei de Trappa, habendos in perpetuum, libere et quiete, monachis ibidem Deo servientibus, de me et heredibus meis vel quocumque dictum tenementum tenente, duobus terminis supradictis ; ita quod, si dictus redditus non fuisset persolutus terminis supradictis, ipsi suam justitiam facerent in dicto tenemento, et illud in manu sua possent tenere donec predictus redditus eis integre persolveretur, cum emenda ad usus patrie judicata ; ego, dictus G[ervasius], postea predictum tenementum eisdem monachis quitavi penitus et dimisi, excepto prato. Et per desuper ego dedis eis et quitavi duodecim denarios turonenses, quos michi reddebat heres defuncti Herberti Botevilain de terra quam de me tenebat in Ardena, annuatim in Nativitate sancti Johannis Baptiste, dictis monachis persolvendos ab herede Herberti supradicti. In his autem omnibus supradictis, nichil michi nec meis heredibus retinui, sed ea omnia tam ego quam heredes mei tenemur supradictis monachis garantizare et defendere et ab omnibus liberare, vel alibi valore ad valorem excambiare, si garantizare et defendere non possemus. Et, ut hoc firmum maneat et stabile in perpetuum, presentem cartam sigilli mei munimine roboravi. Actum anno gratie M° CC° XL° quarto.